Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1171
Quelle:
Copyright:

prius tamen *Incipiunt quedam questiones magistri albini de Sancta trinitate*, illae nempe ad *Fredegisum*, quae in edit. *Opp. Alcuini* seu *Albini*, Ratisb. 1777. extant T. I. P. 3. p. 739. f. cum *Praef.* quae in nostro Codice non habetur. Initium earum est: *Quomodo deus vere sit vnitas et vere trinitas?* ℟. *Vnitas in substantia, trinitas in personis.* Et finis: *Caro uero dimisit, dum in cruce spiritum emisit.* Textus Editis probe respondet. Jam hinc magno nitore sequitur praedictus *Liber* IV. inscriptus *Sacramentorum*, ita: *Samaritanus enim uulnerato appropians curationi eius sacramentorum alligamenta adhibuit* &c. Ad calcem non est oblitus sui Librarius:

Est studio cuius pars scripta uoluminis huius,
Huic laus accrescat, post hanc uitam requiescat.

Addidit vero et Hymnum hujusmodi, unde in Dioecesi *Passauiensi* scripsisse credas:

Gloriosa fulget dies, exultet ecclesia.
Angelis, hominibus pax et leticia
Inmortali translatus emicat memoria
Ualentinus pontifex spes nostra salus et gloria.
Gaudet celum inclita presulis examina, (ex anima?)
Terra meritis, corpore triumphat felix Patauia. &c.

CCCCLXXXV.

U. 425 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 340. f. per duas columnas nitide exaratus, rubricis distinctus, et Collegio Ducali quondam addictus testamento *Thomae de Haselbach*, praemissis ab alia currente manu *Quaestionum Titulis* et Quaestione pertractata: *Utrum cognitione naturali possit inuestigari, quod aliqua cognitio supernaturalis necessaria est anime nostre intellectiue pro statu isto, ad quem ex puris naturalibus non potest attingere?* inscribitur minio: *Incipit primus liber venerabilis magistri sacre theologie fratris Johannis scoti De ordine minorum fratrum super primum sententiarum.* Et continuo: *Quem ego Petrus de Pulka emi a venerabili domino Magistro Nicolao de hebersdorf doctore Medicine.* Noti in Historia nostra Academica Viri, quorum postremus jam a. 1403. Facult. Med. Decanus, a. 1414. Rector Universit. a. 1421. aedes suas sitas in platea dicta *Weihenburg* Collegio Medico donavit. De vita et Scriptis *Johannis Duns* ex O. M. acutissimi ingenii Viri, qui ἀντονομαστικῶς *Doctor Subtilis* dictus, postquam *Oxonium* et *Parisios* illustrasset, *Coloniae* a. 1308. diem clausit,

Fon-